



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

Die S. Stephani.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

## NATALI CHRISTI.

**T**HEMA. *Pax hominibus.* Luc. 2.

Totus sermo erit de quadruplici pace, per Christum nascentem hominibus oblata. Parvulus noster Samuel, postulatus tot votis à Deo, & concessus, ingreditur in Bethleem: pacificus est ejus ingressus. Pacem primam offert, concordiam voluntatum divinæ & humanæ, quæ, antè inter se discordes, jam in una persona mirè conveniunt, & Deus est in Christo mundum reconcilians sibi, ei que pacem ultro accini jubens per Angelos suos. Altera est tranquilla libertas à jugo peccati, sub quo nos vetusta servitus tenebat. Tertia, est ordinatus rerum appetitus: docet enim nativitatis suæ circumstantiis temporalia contemnere, quibus bella & turbæ in animis hominum cieri solent. Quarta, est affluentia bonorum omnium spiritualium, quæ nobis dives cæli negotiator datum venit paupertate sua. Concludi poterit adhortatione ad caritatem, & concordiam mutuam, in die pacis: cum enim *Natalis Christi*, ut ait D. Leo, sit *natalis pacis*, fideles offerre ipsi debent *pacificorum concordiam filiorum*. Argumentum hoc tractamus fusè Excursu ad cap. 13. Mach. sect. 6.

## DIE S. STEPHANI.

**T**HEMA. *In terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2.

Ante

Ante Salutationem Angelicam, quærat, cur festum Sancti Stephani fiat statim post Natalem? Vide Baronium in Martyrologio, & Concionem S. Fulgentii: Subde pro ultima ratione, quia verè fuit homo bonæ voluntatis, cui Nativitas Christi pacem attulit, & spiritalem Nativitatem. AVE.

Heri diximus de quatuor significationibus Pacis: de particula autem ista, Bonæ Voluntatis nihil. Variæ sunt explicationes: quidam legunt Bona Voluntas: alii dicunt Bonæ voluntatis referri ad Pacem: alii & communiter referunt ad Homines, & hi dupliciter explicant, pax hominibus quibus benè vult Deus, aut qui benè volunt, suam voluntatem dirigendo ad Deum. Consule Interpretes. Ostendemus utroque modo D. Stephanum fuisse Hominem Bonæ Voluntatis, & meritò illi Pacem nuntiatam. Benè Deum voluisse Stephano, colliges ex prærogativis, quas congerunt varii. Electus è primis discipulis, forsan è 72. Diaconus. Primus Diaconus sive Archidiaconus. Inde Spiritus Sancti gratia aucta. Miracula patrata. Prædestinatus ut esset Protomartyr. Spectante, juvante, pugnante pro ipso Christo.

Bonæ Voluntati Dei respondit ipse bona sua voluntate. Voluit quod Deus: *Intendens in calum vidit gloriam Dei, & salutem hominum, nil aliud respexit.* Considera in Concilio. Vult Deus patientiam, & ut mala toleremus, etiam per hominum malam voluntatem accidentia:

vult Stephanus, audi orantem, imitatur Christum, secuti alii.

In terra Pax homini bonæ voluntatis. Vis Stephane quod Deus vult; vult ipse quod vis, te salvare. Libertatem habebis, effereris supra minas, calcabis mortem ipsam. Appetitus erit tranquillissimus, faciesque Angelica vultum animi sereni testabitur. Affluet tibi abundantia bonorum omnium, cum vita æterna: *Finis enim hujus civitatis Jerusalem apud Aug. 19. de Civ. cap. 11. vel pax in vita aterna, vel vita aterna in pace dicendus est.* Ad eandem coronam cum Stephano enitamur, iisdem gradibus voluntatis.

### DIE S. JOANNIS.

**T**HEMA idem.

Apud homines magni fit iste titulus Homo boni iudicii, sensus, ingenii, conversationis &c. Quid autem ista sine bona voluntate? Facit voluntas bonum: intellectus doctum. Amisit diabolus bonam voluntatem, non bonum intellectum, & tamen diabolus est, &c. Exemplum bonæ voluntatis in D. Joanne. D. Virgo mater Christi & Joannis. AVE.

Ingressus fit ex D. Thoma p. 1. q. 20. a. 1. *Virum amor sit in Deo: tum a. 2. Virum omnia amet; & quomodò aliter quàm nos: denique ex a. 4. in corpore, quid sit Deo magis diligere, scilicet majus bonum velle. Unde colligo clarè,*  
cum